



Sanctus Quirinus filius fuit maior natu Philip-
pi Imperatoris primi eius conditionis Christia-
ni, qui ex Pannonia oriundus fuit. Mater eius dice-
batur Serena, quae in fide Christi ab Origene opti-
mè instructa, & postea à quibusdam Genofeuia di-
cta est. Hæc itaq; suum maritum Cæfarem ad Chri-
stianam religionem perduxit, atq; suos liberos in
eadem diligenter erudiuit. Cum autem pater à De-
cio Tyranno interficeretur, Quirinus cum fratre
Philippo patrimonium diuisit, atq; multis opibus
onustus, in Noricum peruenit, cum Laureaco quo-
dā uiro doctissimo & S. Laurentij discipulo, à quo
etiam suum nomen habebat. Ibidem S. Quirinus à
focio adiutus, Christum prædicauit, atq; Laureensem urbem & Ecclesiam
ex paternis bonis fundauit. Hanc urbem postea Attila Hunnus destruxit, &
solo æquauit, ut uix hodie eius uestigia supersint, quamvis antea duobus mil-
libus passuum in longitudinem extenderetur. Ex eo tamen Episcopatu, tan-
quam ex equo Troiano, postea omnes ferè Germaniæ Episcopi manarunt,
utpote Salisburgensis, Batauiensis, Aichstetensis, Frisingensis, & Ratisbonensis.